

ab humana mente debet percipi, siue eius rei dabitur in mente necessario idea; secundum Prop præc. 12. Denique addam Prop. II. Corollarium: Hinc sequitur, mentem humanam partem esse infiniti intellectus Dei; ac proinde cum dicimus, mentem humanam hoc, vel illud, percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, siue quatenus humanæ mentis essentiam constituit, hanc vel illam habet ideam. Et cum dicimus, Deum hanc, vel illam, ideam habere, non tantum quatenus naturam humanæ mentis constituit, sed quatenus simul cum mente humana alterius rei etiam habet ideam, tum dicimus, mentem humanam rem ex parte, siue inadæquate, percipere. Hinc potest intelligi, quomodo Deus Spinozæ, siue intellectus diuinus infinitus, qui constituit mentes omnes humanas, vel & brutorum aliorumque omnium simplicium, vniuersum mundum, siue omnia possible adæquate & simultanee representet.

XXVI. Præmissis his obseruationibus in genere contra quatuor simplicium species, supra §. II-14. profitas, de singulis speciebus seorsim & sigillatim paucis quoque erit agendum. Primæ speciei simplicia sunt indiuisibilia & sine partibus. Ergo non sunt Epicureorum atomi; nam hæ partes habent, & singulæ aliquam magnitudinem, figuras varias, rotundam, quadratam, hexahedricam &c. sic & motum. Epicurei suas atomos κατ' ἐξοχὴν corpora dicunt. Sed Leibnizianæ hæ monades, siue simplicia, sunt indiuisibilia, nec partes habent, nec magnitudinem, nec figuram, nec quicquam, quod materiæ conuenit. Ergo non est hic necessum atomos confutare; quod ex earum partibus, magnitudine maiore, aut minore, ex quauis earum figura, ex situ & mutuo contactu facile posset fieri: sed hæc simplicia non sunt atomi, licet indiuisibilia & simplicia dicantur. Quid ergo sunt? An puncta mathematica? Non; hæc enim ita abstracte existere non possunt. Nec puncta mathematica mundum obscure representare possunt. Nec in horum statu animæ brutorum & hominum præexistenterunt, antequam in corpus venerint. Nec puncta mathematica sunt quasi spiritus. Imo ex punctis mathematicis non potest oriri extensio, nec omnia mundi corpora, imo ex iis ne quidem vnum posset componi. Quid ergo sunt hæc simplicia? Mundum obscure representant. An ergo sunt ideæ & presentamina mundi? an sunt spiritus, vel quasi spiritus?